



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus II. De calumniatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

^a **A**rchiepiscopo.] Mauricio videlicet, qui antea fuerat Saienfis Episcopus, & postea Cenomanensis, & tandem decessit Rothomagensis anno 1232. ut refert Chenu in serie Præfulum ipsius Ecclesie.

^b **P**riore sanctæ Mariæ.] In ipsa urbe Rothomag. est monasterium canonicorum regularium sanctæ Mariæ, Ordinis D. Augustini, de quo Pennotus lib. 2. canonic. regul. cap. 34. num. 18. cujus Priori in præfenti rescribit Gregorius.

^c **Tiron.**] Alibi legitur *Tiron*. alibi *Cisterc.* ut emendat Glossa marginalis: & legendum credo *Tironensis*. Tironense enim monasterium est Ordinis Cisterciensis, de cujus reformatione scripsit epistolam 31. Gregorius IX. in hæc verba: *Quatenus advocatis universis Abbatibus, & Prioribus sibi subjectis, infra festum omnium Sanctorum proxime venturum corrigeret, & reformaret, tam in monasterio Tironensi, quam in membris ipsius, & ceteris ei subjectis.* De eo Manrique tom. 4. annal. Cisterc. anno 1231. cap. 6. num. 9.

^d **Ministrari.**] Juxta tradita supra in c. exparte ii.

CAPUT XXVII.

Idem Episcopo a Cisterc. & de Alde, & de b Salen. Abbatibus.

Prælatorum excessus. *Et infra*: Sanè dilecti filii C. & quatuor alii Canonici Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatus (quem, ut dicunt, fuit minùs canonicè assequutus) adeò graviter dilapidat, & consumit, quod (nisi celeriter adhibeatur remedium) Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deduceretur: nec solummodo rerum, verùm etiam famæ suæ prodigus, & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infra*: Discr. v. mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis sollicitè veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem Episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus: potestate ^d vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodo libet alienandi bona ipsius Ecclesie, interim eidem penitus interdicta.

NOTÆ.

^a **Cisterc.**] Rectè in margine ostendatur *Cisterc.* cum in præfenti scribat Gregorius Cistrensi Episcopo, de qua diocesi egit in c. 2. de corpore vitiat.

^b **Salen.**] Salen, seu Salo Salomonis; vulgò *Salmens Vesler*, celeberrimum Cisterciensis Ordinis cœnobium est in Alemania, Constantiensis Dioceseos: primùm à Guntramo Barone constructum anno 1134. deinde à Conrado, & Friderico primo Imperatoribus, & à Burchardo Archiepiscopo Sa-

lisburg. liberalissimè ditatum, ut refert Bucelinus *Germania sacræ part. 2. fol. 78.*

^c **Frisigien.**] Geraldus videlicet, qui præfuit ipsi Ecclesie per undecim annos, ut refert Bucelinus tom. 1. *German. in serie Episcop. ipsius Ecclesie.*

^d **Vendendi.**] Etiam cum solemnitate præscripta in cap. nulli, de rebus Ecclesie: nam hoc speciale est in crimine dilapidationis, ut lite adhuc pendente, Prælatus suspectus de dilapidatione ab Ecclesia amoveatur, cap. licet Heli, de simon. probat Bernardus Diaz in praxi, cap. 71.

TITULUS II.

De calumniatoribus.

CAPUT PRIMUM.

Gregorius a Anthemio Subdiacono Campanie.



Um fortius punienda sint crimina, quæ infontibus, & magis sacratibus hominibus ingeruntur, quam fitis culpabiles omnes, qui in causa Joannis refedistis, attendite, ut Hilarium criminatorem ipsius nulla ex diffinitione vestra pœna conveniens castigaret. Nec illud ad accusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus, solus frater, & Coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viginisset, facilius uni à multis rationabiliter suaderi, quam multi ab uno poterant sine causa deferri. Quia ergo tantæ nequitie malum sine digna non debet ultione transire, supra scriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

F

eundem

eundem Hilarium prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publice castigatum, faciat in exilium deportari, ut unius pena multorum possit esse correctio. Cujus si forte lenitatem Diaconi sui adhuc opinio lacerata non commovet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit, experientia tua hæc quæ diximus, faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet. Hortandus præterea idem frater ex nostro mandato est, ut se in omnibus vigilantem exhibeat, & Ecclesiæ suæ amplius disciplinam non negligat, ne & peccatum de his, qui ei commissi sunt, sustineat, & nos contra se vehementer stimulet, si in officii sui cura, quod non optamus, incautus, vel lentus extiterit. **d** Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius, & vicedominum sibi ordinet, & majorem domus: quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis, quæ eveniunt, idoneus, & paratus existere: si vero & negligentem eum prospicias, & ea, quæ diximus, implere differentem, omnis Clerus ejus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeant ordinari.

NOTÆ.

1. **a** *Anthemio.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub titulo de accusationibus, cap. 2. & habetur textus hic in ipso registro Gregorii, lib. 9. epist. 66. ex quo integram hujus textus transcribo, & ex ipso D. Gregorio citantur textum hunc Burchardus lib. 2. Decreti, cap. 201 Carnotensis part. 2. Decreti, cap. 274. De hoc Anthemio nonnulla notavi in cap. 1. de testamentis.
2. **b** *Hominibus inferuntur.*] Facit idem Gregorius lib. 15. Moral. cap. 15. ibi: *Gravium est, si quis justis potius, quam peccatoribus noceat, unde & per Prophetam dicitur: Sanguis ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere: per terram videlicet, & pulverem peccatores; per petram vero limpidissimam justum signans, qui gravibus peccatorum contagis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malicia cruenta mentis in afflictione justæ animæ grassatur. Unde quo quis est justior, ac proinde dignior veneratione, idè indignius est illum impeti falsis probis, & calumniis.*
3. **c** *Exilium deportari.*] Quæ phrasis apud scriptores inferioris sæculi recepta, & usitata fuit, in specie à Sixto III. P. M. epistola unica, ante medium, ibi: *Si quis circa ejusmodi personas non probanda devulerit, intelligat se jacturam infamie sustinere, & sub magna excommunicatione exilio deportari.* Ita in constitutione Honorii, & Theodosii, quæ est ordine 15. in appendice Codicis Theodosii edita à Sirmundo: & de Manichæis Anastasius epist. 1. cap. 1. ita scribit: *Subditi legibus secundum Christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem suam contagione polluerent, per publicos judices perpetuo sunt exilio relegati.* Et cap. 13. 17. quest. 1. Illustrant D. Nicolaus Anton. de exilio lib. 2. cap. 1. numer. 8. D. Joseph. de Retes lib. 1. de interdicit. cap. 1. in notis.
4. **d** *Volumus.*] Verba quæ sequuntur, extant in cap. volumus, 89. dist. in qua distinctione intendit Gratianus exponere, quod sit officium vicedomini? Et sciendum est, vicedominum in sacris canonibus accipi pro eo, qui ab Episcopo administrationi rerum suarum præpositus est, & pro hospitibus recipiendis, & eleemosynis elargiendis, & ut absolute provideat rebus omnibus, quæ domi providende sunt; idè dicitur major domus in cap. Salvator 1. quest. 3. cap. diaconum 89. dist. & eum vice Episcopi causas judicasse constat

ex præfenti epistola, & ex libro 3. capitul. cap. 26. *Mander Comes vel Abbati, vel Vicedomino, vel illi, quicumque locum Episcopi, vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei remm.* Et lib. 5. cap. 120. Concil. Mogunt. sub Carolo cap. 50. tria velut hominum genera memorat, quibus omnis ecclesiastica res qualis qualis commissa est; omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero: & ait: *Omni no præcipimus vicedominos, & præpositos, advocatos, sive defensores bonos habere, non malos, non crudelēs, non cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes.* Et cap. consil. 38. de simon. Alia de vicedominis adducunt Johannes Vossius lib. 3. de viuis sermon. cap. 55. I. Filescus in cap. 4. de offic. Ordin. P. Gregor. lib. 2. part. tit. 9. cap. 5. num. 11. & lib. 15. syntag. cap. 40. num. 3. Sebast. Cæsar de Eccles. Hierarch. quest. 2. proœmiali, §. 5. num. 13. Manrique tom. 1. annal. Cisterc. anno 1134. cap. 1. in fine, I. Dartis ad Decret. in dist. 89. Unde D. Gregorius in præfenti prædicta vicedomini munia complectens jubet, ut Paschasius Episcopus eligat Vicedominum pro hospitibus recipiendis, & simul causis, quæ emergunt, decidendis.

COMMENTARIUM.

EX fragmento hujus epistolæ à Raymundo in præfenti transcripto, talis communiter deducitur assertio: *Subdiaconus calumniose accusans, gradus ipso privatur, & verberibus afficitur, ac in exilium mittitur.* Quæ assertio probari potest ex cap. & prodeus 7. 2. quest. 1. cap. qui crimen 2. quest. 8. cap. 1. & hinc. ult. 3. quest. 6. cap. quisquis 3. 2. quest. 8. cap. si quis Episcopus 50. 2. quest. 7. cap. Epiphanium 4. 5. quest. 6. cap. 4. 2. quest. 3. cap. final. 1. quest. 6. cap. 1. 5. adjicitur, de elect. in 6. cap. 1. 2. quest. 4. Sixtus III. suprarelatus, Hadrianus Papa ad Episcopos Mediomat. cap. 58. In quibus omnibus variæ penæ contra calumniatores statuuntur: referunt ea, & alia juris testimonia Ant. August. in epist. lib. 30. titul. 11. & lib. 37. tit. 57. Crespetius in summa, verbo Accusator falsus. Illustrant ultra congestos à Barbola in præfenti, Guazinus de defens. reor. cap. 13. defens. 3. Alfarus de offic. Fiscal. gloss. 17. Giurba consil. 47. Valenzuela consil. 170. ex numer. 1. & consil. 171. num. 47. Petrus Greg. lib. 4. part. tit. 15. cap. 4. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 12. de Bellis de delictis, question. 8. Mancinus genial. cent. 2. cap. 45. & sacri juris controu. titul. 7. & de triplici juris collat. cap. 129.

217. Salcedo in praxi, cap. 65. Martha de iurisd. di. part. 1. c. 48. num. 21. Roussellus l. 4. hist. iurisd. Pontif. cap. 5. num. 12. Corvinus lib. 4. apborism. iuris canon. tit. 30. Turturetus in Paral. cap. 43. Ant. Mattheus de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 17. cap. 3. fol. 813. Theophilus Raynaud. in ophothech. de calum. sect. 1. cap. 4. Turriscremata in c. calumniator 2 q. 3. Castillo tom. 3. contro. lib. 3. cap. 21.

Impugnatur tradita a iuris.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequentibus juris considerationibus. Prima nascitur ex eo; nam in principio cuiusque litis, civilis, seu criminalis, jurat actor, se calumniæ causâ accusationem, actionemve proponere, princip. Inst. de pœna temeris sed postquam juratum est, non calumniæ causâ iudicium intendi, amplius quæri non potest, an fuerit calumniatus actor, l. 3. §. unde, ff. de iurejur. quia post iuramentum tantum quæri potest, an juratum sit, §. item si quis 4. de action. ubi plura Pichardus. Igitur nequam calumniator in iudicio propter calumniam damnari potest. Secunda nascitur ex eo, nam calumniatorum pœna talio est, id est ut eandem subeat pœnam accusator, quam accusatum pati intendebat, cap. qui crimen 2. quest. 8. ibi: Et qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur. Et cap. 3. 2. quest. 8. ibi: Cum calumniantes ad vindictam pœcant, similitudo supplicii, &c. cap. calumniator 2. quest. 3. & 4. quest. 4. ibi: Calumniator talionem recipiat. Heraldus Episcopus Turon. can. 80. Quod eandem pœnam passurus sit accusator, si convincere non potest, quam reus, si videri fuerit. Probavi in cap. in super 16. de accusat. Igitur si in præsentī casu Subdiaconus Diaconum per calumniam accusaverat, eadem pœna afficiendus erat, non verò diversis à Gregorio statutis. Tertia oritur ex eo, nam pœna verberum, quam imponit Gregorius, non convenit nec ipsi Subdiacono, cui imponitur, nec iudici ecclesiastico, à quo infligitur. Non ipsi Subdiacono; quia liberi homines, & cives Romani verberibus non afficiuntur, sed tantum servi, & viles pœnæ, ut probavi in can. 3. Concil. Illiber. qui inde infames manebant, l. i. ff. de his qui notant. infam. l. in servorum 10. §. final. l. capitalium 28. §. pœnit. ff. de pœnis, l. nullum, Cod. ex quibus caus. infam. l. 12. Cod. de decur. l. penult. §. in hinc iuris, ff. de variis & extra ordin. l. final. de injuriis, l. 6. §. quid, de iniusto, l. 1. &c. ff. quando appellat. l. 4. ff. de incendio, l. Lucius, ff. de accusat. Ofwaldus lib. 18. Donel. cap. 8. litera l. Tiraq. de nobilit. cap. 20. Amaya in l. 66. Cod. de decur. lib. 10. Et facti Canonis pœnarum delectum, & distinctionem semper observarunt, ita ut licet ob graviora crimina laicos pœnitentiæ solenni manciparent, tamen Clericos, & Ecclesiæ ministros nunquam ad statum illum redegerunt, propter infamiæ notam, quæ solenniter pœnitentes inurebantur, cap. pœnitentes, cap. illud, 50. dist. Concil. Carthag. 5. can. 11. probavi latè in cap. 1. de bigam. non ordin. Ergo propter eandem rationem, infamiæ videlicet notam, quæ ex verberibus, & flagris provenit, non potuit Subdiaconus in præsentī specie verberibus castigari. Nec iudici ecclesiastico consona est hæc pœna, cum iudices ecclesiastici pœnam sanguinis proferre non possint, cap. sententiam, ne clerici, vel monachi: sed verbera sanguinem eliciunt, & idè à iudice ecclesiastico imponi non posse, docetur in cap. qui in Archiepiscopatu, de rapor. Ergo non rectè in præsentī talis pœna in Subdiaconum calumniatorem statuitur. Eodem

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

modo arguendū est de pœna exilii, seu deportationis in præsentī statuto; nam exilii pœna capitalis est, l. capitalium, ff. de pœnis, l. 4. ff. si quis cautionibus, l. his accusare 12. §. omnes, ff. de accusat. latè probat Div. Nicolaus Antonius de exilio lib. 2. cap. 3. per totum, Salgado de protectione Regia, part. 2. cap. 4. numer. 164. Carleval de iudiciis lib. 1. disp. 2. quest. 7. sect. 1. numer. 751. D. Joseph. de Retes de interdictis, in l. cum Ulpianus, & lib. 3. excursu 2. Unde Ecclesia eam non imponit, sed iudex tæcularis ad requisitionem iudicis ecclesiastici, cap. 2. de cleric. excom. ibi: Et Episcopus minimè emendare potuerit, Regis iudicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur. Probat Cironius lib. 1. observat. c. 1. Igitur minùs congrua in præsentī exilii pœna à Gregorio Subdiacono calumniatori imponitur.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, calumniæ varias esse acceptiones: in bonam partem non nunquam sumi, constat ex Carnot. epist. 17. ubi de Philippi Regis nuptiis cum Brettrada, cui ipse iure contradixerat, sic loquitur: Quin nuptiis ejus dicto & scripto calumniam, quam debuit, fecit. Quo sensu dixit deinde epist. 45. conjugium calumniosum. Aliàs calumnia sumitur pro iurgio forensi, vel lite, ut sæpiùs apud eundem Ivonem epist. 66. 179. 219. 229. & 258. Et Arnultus Episc. Lexov. epist. 32. ait: Nunciatur verò nobis, te in Anglia nihil nisi lites, & calumnias texuisse. Quare calumniatorem pro actore, & petitore usurpat Ivō epist. 212. & 241. Notarunt Juretus in dist. epist. 17. Gibalinus de negot. tom. 2. lib. 6. cap. 7. art. 2. Beyerlinch. in theatr. tom. 2. verbo Calumnia. Sed plerumque malè calumnia sonat, pro calidaque & malitiosa juris interpretatione accipitur in l. ad exhibendum 19. ff. ad exhibendum, ibi: Non oportere jus civile calumniari, nec verba captari, sed quæ mente quid dicitur, animadvertere convenire. Probat Laurentius Valla lib. 6. elegant. cap. 50. Pro dolo malo usurpatur in titulo ff. si mulier ventris nomine in possessionem calumnia causâ, l. 2. C. de iurejur. propter calumniam: quam acceptionem latè illustrat Bargalius lib. 5. de dolo cap. 15. In præsentī titulo pro falsa criminis accusatione sumitur, & definitur juxta Marcianum in l. 1. ff. ad Turpil. ut calumniari sit falsa crimina intendere; ac proinde nihil aliud est, quàm falli criminis impectio. Quam definitionem explicat Theophilus Raynaud. de calum. quest. 2. & Nonius Marcel. cap. 4. num. 74. ait: Calumnia est malitiosa, & mendax infamatio. Et Beda lib. de orthographia, Calumnia, inquit, est crimen falsum, cum nobis adversarius, aut malum, quod non fecimus, objicit, aut bonum, quod fecisse probamur, in contrariū vertit. Calliodorus in Psalmum 117. Calumnia (ait) est commentum aliquod periculosa facultatis obiectum. Inde calumniatores dicti seu calumniosi, juxta Paulum in l. 3. ff. ad Turpil. Qui improbè, & ex impostura accusatoris officio utuntur, Græcè dicuntur sycophantæ, eo quod furta ficuum apud Athenienses capitalia essent, recte Festo Pompeio. Probat Franciscus Polletus lib. 4. hist. fori Romani, c. 5. Alciatus lib. 2. Pareg. c. 4. & expressit Suydas Verbo Sycophantein, quem latine vertit Hieronymus Bolsius in hæc verba: Si si in arbore primum inventa, vetuisse tradunt Athenienses, ne ficus exportaretur, qui autè deferebant, qui exportabant, sycophante quasi ficum bibebantur, inde translatus nomē ad quasvis calumnias. Nec sunt aliena à proposito. quæ in Paulo Festi Epitoma ste leguntur l. 17. ibi: Sycophantæ appellatos

7^o Calumnia quid?

F 2

appellatos hac de causa dicunt Atticos, quosdam juvenes soltos in hortos irrumpere, fucusque deligere: quam ob causam est constitutum lege, ut qui id fecisset, capite truncaretur: quam poenam qui persequerentur ob parvula detrimenta, Sycophantas appellatos. Prosequuntur Budeus ad Pandect. Rhodiginus lib. 18. antiquar. lect. cap. 9. Demsterus ad Rosinum lib. 9. licet aliam hujus vocis originem adducat Athenæus lib. 3. dypnosoph. cap. 3. P. Faber lib. 1. semestr. pag. 25. & 163. Lipsius in orat. de calumnia, Covar. lib. 2. var. cap. 9. num. 1. Petrus Greg. lib. 32. synag. cap. 4. Alfaro de offic. fisc. gloss. 17. Calumnia ergo proprie consistit in impostura: quare non sufficit ad calumniam, ut alicui quomodo-cunque tribuatur falsum probrum, sed necesse est intervenire malitiam tribuentis. Unde si per errorem, aut hallucinationem contingat falsum crimen tribui noxio, non inde vera dabitur calumnia, ut probat Raynaud. dict. sect. 1. cap. 1. qui in frequentibus malignitatem hujus sceleris latè probat: quod argumentum luculenter tractavit C. I. V. Justus Lipsius cent. 5. epist. ad finem, in oratione de calumnia: & Leuco Tyrannus Ponticus apud Athenæum lib. 6. cap. 6. cum hominem quandam calumniantem vidisset: Interemissem te (inquit) per Deos, nisi tyranni malis hominibus indigerent.

8.
De poenis calumniatorum.

Deinde sciendum est, calumniatores variis poenis, tam jure civili diversam gentium, quam sacris Ecclesiæ canonibus puniri. Charondas apud Diodorum lib. 12. calumniatorem myricâ coronatum per urbem circumduci jubet. Vide Lucianum dialogo de non temerè credendo calumnia. Jure civili Romanorum ex edicto Pratoris infamiam incurrunt, l. non prius 7. l. ult. Cod. de calumn. l. 1. ff. de his qui notant infam. non tamen ipso jure notatur calumniator, sed ita si calumnia causâ damnatus sit, l. 4. §. calumniator, ff. de his qui notant infamiam; idcirco verba judicis diligenter attendenda sunt: si dixerit Sycophantas, id est calumniatus est, intelligitur notasse: quod si dixerit, non probasti, non notatur. Nec enim qui non probat quod intendit, illicet calumniator intelligitur, sed qui dolo malo falsum crimen obicit, l. 1. §. sed non utique, & §. sequenti, ff. ad Turpil. l. fustibus 16. ff. ex quibus causis infam. irrog. l. 3. Cod. de calumn. Cicero pro Roscio: Innocens est quispiam; suspicione tamen non caret: ei qui hunc accuset, possim aliquomodo ignoscere. Cum enim aliquid habeat, quod possit criminose, ac suspiciose dicere, aperte ludificari, & calumniari sciens non videtur. Et mox: Vos autem maxime debetis in eos impetum facere qui merentur. Deinde si voletis, etiam tum, cum verisimile erit, aliquem commisisse, in suspicione larrate: id quoque concedi potest. Sin autem sic agitis, ut arguatis quidem aliquem patrem occidisse, possitis, aut quare aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione larratus: curra quidem vobis nemo suffringet & c. Hactenus Cicero. Idem judicandum de hac formula: Lucium Titium temerè accusasse videtur. Temeritas enim facilitatis veniam continet, & ob id nullam poenam Titius subiit, l. 1. §. queri, ff. ad SC. Turpil. Quid autem si iudex ita pronunciat: Callido commento videris accusationis instigator fuisse. An tanquam calumniatorem notasse videtur? Papinianus in l. ob hac verba 20. ff. de his qui notant infam. respondit ob hæc verba pudorem potius onerari, quam ignominiam interrogari; nec enim mandatorem esse eum, qui exhortatur. At contra Marcianus in l. 1. §. invidi, ff. ad SC. Turpil. docet hunc quoque, qui

instigavit ad accusandum, calumnie poenâ teneri. Pro hujus antimonie solutione Antonius Matthæus de criminibus ad lib. 48. Pandect. tit. 18. cap. 3. ait, verbis quidem SC. non teneri eum, qui instigavit, sed ex mente & sententia teneri, quia SC. de mandatore loquitur, & qui instigat, non est proprie mandator; sed quia non longè à mandatore abest, eum sententiâ SC. teneri. Sed aliter ea jura componit Otualdus lib. 18. Donel. cap. 8. litter. X. discrimen constituendo inter sententiam definitivam, & interloquutoriam. Etiam ante SC. Turpilianum fuit constituta poena Talionis, quam ad leges 12. Tabularum refert Polletus lib. 4. histor. fori, cap. 5. & postea idem cautum fuit lege Rhemia, seu ut alii volunt, Memia: quæ poena exfoleerat temporibus Imperatoris Augusti; quare inter alia ipsius Principis præclara gesta recensetur à Suetonio, quod diuturnorum reorum nomina abolverit conditione propolita, ut si quis quem teperere veller, par periculum poenæ subiret: & postea per SC. Turpilianum instaurata ea poena fuit, & tandem Imperatores Honorius, & Theodosius in l. ult. Cod. hoc titulo, ita sanxerunt: Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentendi, cum calumniatoris poenâ ad vindictam similitudo supplicii. Extat in cap. quisquis 2. quest. 8. Quæ poena talionis divino jure politico statuta fuerat, cap. 19. Deuter. ibi: Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est ante Dominum in conspectu sacerdotum, & judicium, qui fuerint in diebus illis: cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut frater suus facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere: non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exgris. Hæc est poena talionis, quæ scilicet tale rependitur, quale illarum est, vel inferendum fuit calumniam passo. Aristor. lib. 5. Ethicorum, cap. 5. appellat poenam hanc Contrapassum. Probat poenæ hujus justitiam Sotus lib. 5. de justitia, quest. 5. art. 4. Lælius Mancinus de triplici juris collat. lib. 1. cap. 129. & centur. 2. cap. 143. Demsterus ad Rosinum lib. 9. fol. 940. Hodie tamen, attentâ generali consuetudine poenam hanc talionis exiolevisse ex ratione per nos adductâ in cap. super his, de accusat. testantur Farinac. in praxi, quest. 16. num. 3. Jul. Clarus §. final. quest. 81. n. 3. Theophilus de calum. sect. 1. cap. 4.

In eadem etiam lege Rhemia statuta fuit poena inuisionis frontis inscriptâ litterâ K. quæ est prima calumniatoris. Cicero pro Roscio: Ita tamen Erucii questus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere. Et mox: Curra quidem vobis nemo suffringet: sed si ego hos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigam, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis. Eoque spectat Papinianus in l. questum 13. ff. de testibus, dum hominem calumnie damnatum, opponit homini integræ frontis. Illustrant Theoph. Raynaud. in tract. de stygmatisimo, sect. 3. cap. 3. Cuiac ad Digesta, in l. is cui, ff. qui testamenta, Petrus Pitheus in collat. legum Mosaicarum. 4. §. sine calumnia, Forner. l. 6. rer. quotid. c. 29. Et licet Cassiodorus in Psalmum 71. hoc accipiat de nuda condem-

9.
De poenis legis Rhemia.

condemnatione, quia apud antiquos litteram K. iudices apponere solebant in signum condemnationis: hæc tamen sententia sustineri non potest, quia ea damnandi nota communis erat omnibus condemnationibus, ut videre est apud Polemum, Sigonium, & alios de iudiciis agentes. Ex quibus Hermannus Hugo *lib. de prima scribendi origine*, cap. 22. quod est de notis iudicialibus, ad K. ait: Calumniatorum fronti affixum, erat peculiare eorum supplicium, quo frontis eorum ferro candenti formâ litteræ K. inurebantur. Duplex KK. eo ferro in presunt volunt Petrus Diaconus de notis, & Aldus Manucius libello eiusdem argumenti, ita exponentes illud K. K. vel K. C. ut sonet, calumnia causâ. Olim quippe vox calumnia exarabatur per K. ut probant Lipsius *lib. 2. electorum*, cap. 15. Pitheus *ubi supra*, fol. 145. Primarius noster Magister Correa in orthograph. Castell. Etiam aliquando apud Romanos calumniator deicebatur è saxo Tarpeio, ut refert Gellius *lib. 20. nocturnum*, cap. 1. & in exilium mittebatur, ut constat ex Tacito *lib. 5. annal. l. 3. eum idem Divus*, ff. de testibus. Justinianus *novel. 6.* eum qui electum Episcopum cuiuslibet criminis insinulavit, pelli iubet à societate fidelium: & in *novel. 123. cap. 2. & 137. cap. 3.* iubet eum, qui falsi criminis Episcopum reum egit, à provincia exulare, in qua commorabatur. Etiam extraordinariâ poenâ punitur in *l. 27. §. si liber 5. ff. ad leg. Jul. de adult.* Apud Græcos usitatum fuisse talionis poenam constat ex Diodoro *lib. 4.* & apud Wisigothos eandem talionis poenam statutam fuisse, apparet, ex *l. 5. tit. de iudicio furis*, lib. 7. *legum Wisigoth.* notavit Gregor. Lopez in *l. 1. tit. 1. part. 7. l. 27. & final. tit. 17. part. 3.* Alias diversarum gentium poenas circa calumniatores refert Theoph. Raynaud. de calumni. sect. 1. cap. 4. Hæc autem procedunt in calumnia in delictis publicis admittis: nam in privatis aliud observatur, quia qui in illis calumniatur, violat iusjurandum, quod concepit de calumnia, solvitque impensas litis, & nonnunquam infamissit. cum olim veteri de calumnia actione in partem decimam litis actor multaretur, §. hoc autem, *laust. de poena temerè*: notavi in *tit. de juram. calum.*

10. De poena ex parte Pontif. Ut ad Ecclesiæ leges perveniamus sciendum est, Ecclesiæ Patres non mitius in calumniatores insurrexissent, nam eos in infamiâ notatos declararunt; benedictione, officioque, si quod habebant privarunt, exilio, verberibusque afficiendos esse sanxerunt in *cap. qui in alterius*, cap. *quidam maligni*, 23. *quest. 4. cap. deteriora 6. q. 1. cap. Episcopum*, ead. *quest.* Poenam talionis sanxerunt, in *cap. qui crimen 2. q. 8. c. calumniator 2. quest. . c. 3. 2. quest. 8.* Communionem etiam privantur: & si Episcopos, aut clericos falsò accusaverint, nec in fine illis conceditur communio. Concil. Illiber. *can. 75* ibi: *Si quis Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, & probationem potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.* Licet postea mitius eum eis actum sit, communionem in fine concessâ. Concil. Arelat. *can. 14.* ibi: *Qui falsò accusant fratres suos, usque ad exitum non communicent.* Arelat. *2. can. 24.* *Eos qui falsa fratribus capitalia objecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, sicut magna Synodus antea constituit.* Notavi in *c. 75. Concil. Illiber.* Hadrianus Pontifex in *c. delator 5. q. 6.* linguam capulandâ esse calumniatori sanxit: quæ constitutio etiam refertur *lib. 7. capitul. tit. 277.* & ab Hincmaro hementis *lib. contra Hincmarum Laudun. de sententiis Engelramno Metensium Episcopo datus*, his verbis: *Quam diversa à sacris* D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

canonibus, & quam discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis iudiciis habeantur. ut hic, quoad de plurimis ponit, evidenter manifestatur. Delatori, inquit, aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Capulare verò truncare est, vel excindere, ut in lege Salica, *tit. 31. §. 2. Si quis pedem alterius capulaverit.* Et ibi: *Mancatus remanserit: ex veteri glossario Petri Pithei notavit Bignon. ad Marculf. fol. 623.* Similis ferè fuit lex Constantini, quâ strangulati eos, & linguam ipsis radicibus amputari iubet, *l. 2. Cod. Theod. de perit.* Apud Longobardos non lingua, sed nasus præcidebatur, ut refert Lindembrog. in *glossario, verbo Capulare.* Dixit Hadrianus capulare, quod est truncare, ut probant Lindembrog. *suprà?* Voslius de *virtus form. lib. 4. cap. 3. quest. 16. num. 5.* & jam à primo Ecclesiæ sæculo *lib. 2. constit. cap. 42. & 43* in calumniatores ita constituit: *Vos Pastores cum Diaconis cognoscetis eum, qui proximum suum per calumniam mendacis testimonii accusavit, & ostenditis eum esse calumniatorem, invidum, interfectorem, suis repugnantibus perturbantem ut maliciosum, sermone inconstantem, detestis suis contrarium, & oris sui verbis captum. Euerunt enim ei laqueus fortis labia sua, quæ tu postquâ falsas testimonii ejus convicta fuerit, iudica rigide, & gladio ignis trade, fac que ei quod ipse proximo suo scelere machinatus est. Quantum enim in eo fuit, fratrem occidit, aures iudicis occupando, &c. Itaque eijce eum ex Ecclesia tanquam fratris interfectorem.* Deinde intervallo temporis, si dixerit poenitere se, prætutite eum jejuniis, ac postea per manus impositionem recipite, caventes tamen illi, ne quem iterum turbet. Quod si rursum ingressus similiter seditionem, & discordiam concitavit, neque desinat turbare, & convicia facere fratri, vituperationibus & contentionibus aequiter studens, eijce eum tanquam pestilentem, ne Ecclesiam Dei vitiet, & feudet. Qui enim huiusmodi est, turbas constat civitatibus: idemque, tamen si intra Ecclesiam est, tamen quia Ecclesiam dedecorat, super vacuus, & inanis est, qui quidem quantum in se est, corpus Christi sordidat.

Deinde sciendum est, iudicem reum absolventem improbè accusatum, statim cognoscere, ac pronunciare de calumnia, *l. 1. C. hoc tit. l. inter 10. ff. de public. judic.* statim, id est eadem die, vel sequenti, si eadem non potuerit: argumento est locus Alconii in oratione pro Marco Scauro, ibi: *Cato Prætor cum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multi que è populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorem misit.* Etiam notandum est, non omnes accusatores in probatione deficientes, poenis calumniæ puniri; nam tutores, curatoresque non facillè illis afficiuntur, nisi evidens eorum calumnia sit, *l. 2. Cod. de his quibus ut indign. l. 8. C. de calumniat.* Explicat Gothofredus in *l. 2. Cod. Theod. de od. tit. l. 1. 4. §. si libertus, de bonis liberti. l. 22. de his, que ut indign.* Similiter eos, qui prosequuntur necem liberorum, & parentum, poenâ calumniæ non teneri, statuitur in *l. 1. & 4. C. hoc tit. l. ult. ff. de public. judic. & in l. 2. C. hoc tit.* docetur, non teneri extraneum heredem, quia aliquè iussu testatoris beneficii accusavit: & foeminas suam, suorumve injuriarum persequentibus, & omnibus illis, quibus inscriptionis necessitas remittitur, quos retulit in *c. super his, de accusat.* calumniæ poena remittitur. Etiam maritus, qui intra dies 60. jure mariti uxorem accusat de adulterio, nisi ob evidentem

calumniam, non tenetur calumnie pœnis, l. is cuius 14. §. ult. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 6. & 30. Cod. eod. l. auxilium 37. §. 1. de minoribus. Pater autem accusando adulterium filiae ex calumnia damnatur l. pater 30. ff. eod. tit. quia talis accusatio odiosa est, cum per eam matrimonia fœdari videantur, l. quamvis 30. Cod. eod. tit. de adult. Item filius à calumnie pœna immunis est, cum ex quadam necessitate accuset, nisi cum evidenti calumnia agat, l. penult. Cod. de advocat. Fiscis, l. 5. l. universi 9. Cod. ubi causae fiscales. Suetonius in Domitiano, ibi: Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit. Similiter etiam delatores ex officio, ut curiosi, & stationarii, non puniuntur, nisi ob evidentem calumniam, l. ea quidem, Cod. de accusat. l. 1. Cod. de curiosis, l. 10. l. 6. §. nuntiatores, ff. ad Turpil. l. Divus 6. ff. de custod. reorum. Probat Amaya ad tit. de delatoribus, lib. 10. & plura de curiosis congeserunt Petrus Gregor. lib. 47. syntag. cap. 38. num. 9. Cuiac. ad tit. Cod. de irenarchis, & ritul. Cod. quæ res pignori: & in l. 9. Cod. de iure fisci, & lib. 1. obs. cap. 33. Reuardus lib. 4. var. cap. 11. Pancirola in notis. Imper. Orient. cap. 47. & Occid. cap. 18. & lib. 2. var. cap. 26. Bulenger. lib. 7. de Imper. Roman. cap. 22. Bobadilla lib. 2. polit. cap. 13. num. 61. & cap. 21. num. 10 alias causas, ob quas calumniator excusatur à calumnie pœnis, refert Menochius lib. 2. de arbitrar. cent. 4.

12.
Tradi-
tur ra-
tio deci-
deri.

His suppositis jam apparet ratio præsentis decisionis; nam cum calumnia adeo sit grave scelus: ut peccatum diabolicum appellent sanctus Athanasius in apolog. ad Constantium, ibi: Calumniari est vis diaboli moribus. Origenes homil. 3. in Exodum; quia ait, falsis detractionibus, & testimoniis, ac calumniis gravantes proximum, os apertum à diabolo habere: Cyrillus monachus in actis sanctæ Sabæ, D. Chrysostomus homil. 79. in Mattheum, cuius nomenclaturæ rationem assignat & illustrat Theophil. Raynaud. de calumnia quest. 2. & Div. Athanal. in dicta apolog. de strage, quam infert calumniator, ait: Qui lapide feritur, querit medicum; visus autem calumnie gravius quam lapides feriunt. Est enim calumnia clava, & gladius, & jaculum incurabile, ut dixit Salomon, & si in personam Deo sacram inferatur, gravior calumnia est, ut supra probavi: inde cum in præsentis Hilarius falsò, & ex calumnia accusasset Joannem Diaconum, iustè Gregorius decrevit, ut ipse officio Subdiaconi, quoungebatur, à proprio Episcopo suspenderetur, verberibusque afficeretur, ac in exilium mitteretur, ut ita alii à simili calumnia tererentur, ne fratres Ecclesiæ æquè ministros falsò accusent; nam ut agebat Aristotel. lib. 6. Polit. cap. 5. in bene instituta Republica graviter calumniatores sunt puniendi, quoniam non populares in iudicio vocare consueverunt, sed nobiles.

13.
Dissolvi-
tur du-
bitandi
ratio.

Nec ostat dubitandi ratio supra adducta ex dicta l. 1. ff. de iurejur. nam quod ex ea expendebamus, procedit in iuramento decisorio parti à parte delato; nam tunc postquam delatum est, nihil queritur, nisi an iuratum sit: at verò in iuramento ab actore, vel reo prolato, sine ulla delatione adhuc superest cognitio causæ principalis, dicta l. 3. in princip. & propter calumniam, tam in civili quam in criminali iudicio, pœna, ut probavi in cap. 1. de iuram. calumn. & ita hac pœnâ calumnie non liberari accusantem, etiam si tempore accusationis propositæ juret de calumnia, docuerunt Jul. Clarus dict. §. final. quest. 61. Salcedo in præxi,

cap. 65. Martha de iurisd. parti. 1. quest. 38. Nec obstat, quod de pœna talionis adducebamus, cui difficultati ut satisfaciant Antonius, & Abbas in præsentis, quos sequitur Bernard. Diaz in præxi, cap. 65. affirmant, quod in præsentis casu pœna imponenda Joanni Diacono, si crimen probatum esset, non erat proportionata Hilario Subdiacono, ideoque diversam pœnam à sancto Gregor. impositam fuisse: sed cum non constet, quantum pœna in præsentis casu imponenda esset Joanni, certò deduci non potest, an eadem pœna imponi possit Joanni Subdiacono; quare verius credo, quod licet pœna talionis in calumniatorem utroque iure imposita reperitur, ea locum habet in delictis ordinariè puniendis, non verò extraordinariè; unde cum in præsentis non fuisset certa pœna imposita pro delicto, quo accusabatur Joannes Diaconus, & ipse esset in sacris ordinibus constitutus, ideò tam acerbis pœnis plectitur calumniator. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, pro cuius partis solutione dicendum est quod licet illa fustium, & verberum differentia iure civili Romanorum agnosceretur, usitataque esset, ut probavi in can. 4. Concilii Iliber. in iure tamen canonico nullum discrimen versatur inter flagella, & verbera: quare promiscuè in sacris canonibus rei iubentur fustibus cædi, & verberibus affici in cap. cum Beatus, 45. dist. cap. nullus clericus 11. quest. 3. cap. quidam 5. quest. 1. cap. quia iusta 5. quest. 6. cap. his à quibus 23. quest. ult. cap. in Archiepiscopatu, de rapitor. & Gennadius Patriarcha CP. delatum ei ob scelera Charisium permisit etiam paternâ, & ecclesiasticâ censurâ flagellari. Nicephorus lib. 15. histor. Eccles. cap. 13. Sophron. in præxi spirit. cap. 145. Similia de Pechamo Cantuariensi Archiepiscopo refert Nicolaus Aasperfel. historia Anglica ad seculum decimum tertium, c. 23. & ita in præsentis casu Subdiaconum verberibus affici iubet Gregorius iuxta mentem sacrorum canonum, secundum quam nullum datur discrimen inter flagella, verbera, loras, & fustium cælionem. Nec obstat, quod ex hac pœna infamia incurritur; nam cum ex ipso calumnie delicto infamia contrahatur, ut probavi, non in iustè Gregorius Subdiaconum in hoc casu ut infamem verberibus afficiendum esse decrevit. Nec obstat alia pars ipsius augmenti, videlicet pœnam hanc sanguinem effundere, ut constat ex lib. 2. feudor. tit. 27. §. si quis aliquem: quare Horatius horribile flagellum vocavit, iniquens:

Nec scuticâ lignum horribile scelerè flagellum.
Et Virgilius sanguineum dixit lib. 8. Æneid.
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Item Juvenalis satyr. 6.

----- Hinc frangit ferulas, rubet ille flagellis.
Et in sacra pagina Ecclesiastici cap. 8. ibi: Flagelli plaga livorem fecit. Nam licet Ecclesia olim uteretur flagris, flagellive pro emendandis peccatoribus, ut constat ex iuribus proximè adductis, & ex Concilio Matiscon. 2. cap. 1. ubi iubetur rusticum, vel servum, qui diem Dominicam violavit, gravioribus fustium ictibus verberari, Concil. Aquilgran. can. 134. cap. super eo, de sentent. excomm. cap. universitatis, eodem ritul. in 6. Concil. Narbon. sub Recaredo, can. 12. ibi: Presbyteri increpentur, ut redeant, Diaconos & execrandos, & stipendio privandos; reliquos flagris coercendos. Concil. Agath. Præfide Cæsario, can. 38. ibi: Clericum, aut monachum sine commendatis vagum, si verborum increpatione non emendatur, etiam verberibus

ribus statim in carcerem. Turon. 2. can. 20. ibi: Qui ex septem Diaconis, lectoribus, aut laicis ad Archipresbyterum observandum concessit, si septimanam cum eo facere distulerit, fustigetur. Synodus Franca sub Bonifacio V. Clericus, vel monachus in fornicationem lapsus, post tertiam verberationem in carcerem missus, ibi penitentiam agat. Carnotensis part. 14. Decreti, cap. 115. Tamen semper curantur Ecclesie Patres, ne flagellatio ad sanguinis effusionem perveniret; quare pro una vice triginta novem ictus tantum prescripserunt. Concil. Matiscon 1. can. 8. ubi jubetur, ut clericus junior, qui alterum clericum ad judicem secularem traxerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat. Refertur in cap. nullus 6. 11. quest. 1. & in 1. collect. sub tit. de foro compet. cap. 4. Div. Cyprianus in vita sancti Casarii, apud Surium die 27. Augusti ait, illum nunquam hunc numerum excessisse, sed potius ut iterum reus vapularetur, permittebat, ibi: Solebat vir sanctus id accurate observare, ut nemo ex illis, qui ipsi parebant, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferrentur; ita tamen, ut si quis in gravi culpa esset deprehensus, permitteret ut post dies paucos vapularet iterum. In regula sancti Aureliani cap. 41. pro qualibet culpa, si necessesse est flagelli accipere disciplinam, nunquam numerus legitimus exceditur, id est triginta & novem. Quo sensu accipiuntur aliqui, quod habetur in Penitent. S. Columbanii, ubi quinquaginta centum & immo & ducentae plagae imperantur; non enim simul, & semel infligebantur, sed iteratis vicibus, quem numerum ictuum acceperunt Patres à lege veteri, in qua cavebatur Deuteron. cap. 25. ita: Pro mensura peccati erit & plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne feda laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. Et D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 11. inquit: A Iudeis quinquies quadragenas unam minus accepi. Illustrat Novarinus lib. 1. schediasm. cap. 21. Menardus ad concord. d. regul. cap. 30. §. 4. Iudei enim veriti, ne si quadragenarium numerum completerent, oblivione forsitan, vel impetu animi quandoque excederent, in more habebant non nisi tringintanovem ictus infligere, teste Josepho lib. 4. antiquit. cap. 8. Oleario in dist. cap. 25. Deuteron. ibi: Solent etiam Hebraei ex ratione triginta novem verbera incutere, ne forte excederent uno. Unde Apostolus se accepisse gloriatur quinquies quadragenas unam minus. Rationem huius legis expresserunt S. Chrysostomus homil. 15. in epist. 2. ad Corinth. per hæc verba: Quare una minus præcisa lege sancitum erat, ut si quis plus quam quadraginta verberum ictus accepisset, infamis apud ipsos esset; itaque ne verberantis impetus hunc numerum in infligenda pœna excedens, ignominia notam reo faceret, prescriptum est ab illis, ut ei qui vapularet, unde quadraginta tantum plagae inveniuntur. Theodor. q. 30. in c. 25. Deuter. Quare cum Deus præceperit delinquentem vapulare quadraginta plagis, Iudei unam minus inferunt, quia major numerus vapulantem infamat: sic ceciderint eum pluribus, deformis abibit frater tuus in conspectu tuo. In eo transgredi legem permittunt, ut exactius observantes numerum, etiam nolentes vapulantem infament pluribus plagis illatis. Quare Ecclesia illum morem retinuit, ne ad sanguinis effusionem perveniret. Unde juxta hunc morem accipienda est pœna verberum imposita à Gregorio in præfenti. Contra idem Gregorius lib. 2. epist. 52. succensuit Episcopo Constantinopolitano ob mona-

chum in Ecclesia C. P. fustibus caesum. Et epist. 83. Andream Tarent. Episcopum ab administratione sacrorum per duos menses suspendit, quod mulierem cædi iustibus iussisset crudeliter. Illud tamen observandum est, etiam in casibus à jure permittis clericos non esse verberandos propria manu ab Episcopo, ut cautum fuit in cap. 27. Apostol. Synodo Nicæna 2. can. 3. Concil. Agath. relato in cap. non liceat, 86. dist. à D. Gregorio in cap. quid autem, cum sequenti, 45. distinct. Justiniano Nov. vel. 123. ibi: Propriis aliquem manibus verberare Episcopo non licere; hoc enim à sacerdotibus alienum est. Julianus Patricius novel. 115. cap. 42. Phocius in nomocan. tit. 6. cap. 26. Savarus ad Sidon. lib. 3. epist. 12.

Nec obstat ultima difficultas, pro cuius solutione sciendum est, Ecclesie, ecclesiasticisque iudicibus competere facultatem relegandi, ita ut cum per excommunicationem, ac alias pœnas ecclesiasticas rei criminosi emendari nequeunt, in exilium mittantur, ut dist. 17. probatur in cap. in Synodo 23. dist. 63. cap. attendendum 13. 17. quest. 4. ibi: Aut exilio perpetua deportationis serventur: & cap. accedens, 50. dist. cap. hi qui 3. quest. 4. ibi: Et exilio digni judicantur summo: & c. cum beatus, 45. dist. ibi: Et exilium sententiam sustinebunt: & cap. ad audientiam, de crimine falsi, cap. penult. de pœnis. Concil. Tolet. 12. can. 11. ibi: Quod si ingenuorum persone his erroribus fuerint implicata, & perpetua excommunicationis sententia feriantur, & arctiori exilio nesciantur. Concil. Aurel. 4. can. 29. ibi: Si qua mulieres fuerint in adulterio cum clericis deprehensa, de clericis distinctione habitâ, muliere ipsa, prout sacerdoti visum fuerit, distinctioni subjaceant, & à civitatibus, at sacerdos præceperit, repellantur. Gregorius in Penitent. cap. 11. Docterunt plures congesti à Barbola de potestate Episc. part. 1. tit. 4. et si negent Rouffellius lib. 4. hist. Pontif. cap. 7. num. 5. Petrus Gregor. lib. 4. partit. tit. 15. cap. 4. quia pœna capitalis duplex est, una sanguinis, qua mortem ingerit, l. 3. ff. de pœnis; altera sine sanguine, ut est deportatio; & ita cum non sit corporalis hæc pœna, ut expressè docetur in cap. ad audientiam, de crimine falsi, & probat D. Nicol. Antonius lib. 2. de exilio, cap. 31. num. 7. potest à iudice ecclesiastico infligi. Baronius anno 263. num. 29. Chopinus lib. 3. de sacra pol. tit. 2. num. 11. Circa effectus vero ipsius pœnæ notandum est, Pontificem posse à tota sua ditione relegare, & in terris Ecclesie subiectis quoad temporalia, omnibus iuribus regni, & civitatis exules privare. Similiter Archiepiscopi à tota sua provincia, & subditos Suffraganeorum suorum punire valent, juxta tradita in cap. pastoralis, de officio ordin. Episcopi à sua ditione, ex dist. cap. 29. Concilii Aurel. non autem regno integro possunt relegare, nec jura civitatis, seu natalium regni illis adimere, quia sæcularia sunt, nisi implorato auxilio brachii sæcularis; quia tunc ipse iudex sæcularis videtur sententiam proferre, ipsumque reum in exilium mittere; cap. de Liguriis 42. 23. quest. 5. cap. si quis 17. cum sequenti, 18. quest. 1. cap. ne liceat 17. dist. ideoque ut exilium perfectum sit in dist. cap. 2. de clerico excomm. jubetur ut ad requisitionem Ecclesie iudex sæcularis decernat exilium: & in Concilio Trident. sess. 24. de reform. cap. 8. de concubinariis contumacibus cavetur, ut ita graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel dicecesin, si eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari ejiciantur.

14.
De pœna
exilii.

NOTÆ.

1. ^a [Innocent.] Ita legitur in tertia collectione, sub tit. de accusat. cap. 7 ex quo textum transcribo; sed legendum est, ut habetur in hac sexta collectione Zamorensi, Segoniensi, & Abulensi Episcopis; nec est cur textus hic tribuatur Honorio III. ut aliqui voluerunt, cum non reperiatur in ejus quinta compilatione, & extet in tertia collectione Epistolarum Innocentii III.
2. ^b Zamorensi.] D. Petro videlicet, qui his prioribus annis Innocentii III. floruit: de qua Diocæsi egi in cap. 5. de supplenda neglig.
3. ^c Segoniensi.] D. Petro Michaeli, qui etiam à suis Clericis fuit falsò accusatus, ut refert Ægidius Gonzalez in theatro ipsius Ecclesie, in ejus vita. De hac Ecclesia egi in cap. 6. de integrum restit.
4. ^d Abulensi.] Benedicto I. hujus nominis. De hac Diocæsi egi in dicto cap. 5. de supplenda neglig.
5. ^e Palentino.] D. Alderico videlicet, qui floruit in Ecclesia eximiiis virtutibus præditus usque ad annum 1208. adeoque sanctimoniam claruit, ut in ipsa Ecclesia reverenter serventur sandalia ipsius, cum hoc titulo: Sandalia S. Alderici, ut refert Ægidius Gonzalez in theatro ipsius Ecclesie. De ea Ecclesia egi in p. 6. de integrum restit.
6. ^f Legion.] D. Petro Munniz, qui postea fuit Compostellanus Præsul; ut in histor. ipsius Ecclesie Compost. refert Ægidius Gonzalez fol. 93. De ea Ecclesia egi in cap. 6. de integrum restit.
7. ^g Vallebona.] Vallisbona, vulgò Valbuena, Monasterium est Ordinis Cisterciensis in Diocæsi Palentina, sexto lapide ab Urbe Vallis-Oleti, quam fundavit Comitissa Stephania sub cura Episcopi Palentini: ejus originem & progressum refert Marique tom. 2. annal. Cisterc. anno 1151. capite undecimo.
8. ^h Matiplana.] Legendum est Maraplana, quod Monasterium vulgò dictum Marallana, est Ordinis Cisterciensis in Diocæsi Palentina, quinto lapide à Vallis-Olelo, tertio ab Emerita Augu-

sta; vulgò Medina de Rioseco, constructum anno 1171. cujus historiam latè refert Manrique tom. 3. annal. anno 1174. cap. 6.

ⁱ Purgaverit.] Convincitur quis de calumnia secundum quosdam eo ipso, quod non probat, quod intendit, ut doceri videtur in cap. calumniator, cap. qui non probat 2. quest. 3. l. 1. Cod. de advocat. divers. judic. l. 3. §. idem Divus, de testibus, l. 1. in fine Cod. de famosis libel. l. si quis ad se, Cod. ad leg. Jul. de vi, l. non ignoret, Cod. de fructibus, & lit. expens. Sed non est ita, quia non protinus calumniari videtur, qui non probat quod intendit; undè ejus rei inquisitio fieri debet, quàm mente ductus ad accusationem processit, & tunc condemnabit eum Jdex, vel absolver, ex traditis proximo commentario. Quatenus autem in præfenti denunciator ob calumniam puniatur, cum regulariter ipse subscribere non teneatur expostui in c. super his, de accusat.

^k Prælatorum.] Ideoque licet tantummodo delator esset, punitur ob calumniam. Facit Theodoricus Rex apud Cassiodor. lib. 1. variar. epist. 9. ibi: Tutæ est conditio subjectorum, ubi vivitur sub æquitate regnantium; nec dubio decet rumore tractari, à quo debent non mutanda constitui; fidem si quidem rerum à ratione colligimus (qua nunquam desiderantibus absconditur, si suis vestigiis perquiratur); atque ideo, quod Beatiudini vestre gravissimum esse confidimus, præfenti tenore declaramus, Augustina Civitatis Episcopum proditoris patriæ falsis criminationibus accusatum: qui à nobis honori pristino restitutus, jus habeat Episcopatus omne quod habuit; nihil enim in tali honore temerarià cogitatione præsumendum est, ubi si propositio creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur. Manifesta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem (quidquid autem ex invidia dicitur, veritas non putatur.) Volumus enim impugnatores ejus legitimam pœnâ percellere: sed quoniam ipsi clericatus nomine fungebantur, ad Sanctitatis Vestre judicium iuncta transmittimus ordinanda, cujus est & æquitatis moribus talibus imponere, quam novimus traditionem Ecclesiasticam esse sto dire.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spirituali exigatur, vel promittatur.

CAPUT PRIMUM.

^a Gregorius Generali Synodo præfidens.



Ntiquam Patrum Regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex ^b datione pallii, neque ^c ex traditione chartarum, nec ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione ^d pastelli. Quia enim ordinando Episcopo ^e Pontif. manum imponit, Evangelicam verò lectionem Minister legit, confirmationis autem ejus Epistolam ^f Notarius scribit, sicut Pontificem non decet, manum quam imponit vendere, ita Minister, vel Notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio, seu chartis,